



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 81. Articuli de Ordinis Sacramento Theologorum examini subjecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. LXXX.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.*Legati accepto Pontificis responso rebus expediendis intenti.*

Legati hoc responso contenti rebus prompte expediendis sollicitè incumbebant, ac religiosum silentium Patribus commendabant, imò minus consultum fore censebant, si in conventu publice libellus de Cæsaris postulatis prælegeretur, aut pro illorum examine deputarentur Prælati: quapropter absque strepitu, ac reliquis pene insciis totum hoc negotium Simonettæ Cardinali committebant, qui pro more in ejusmodi discussionibus usitato sibi quatuor Præsules associabat, Castaneam, Boncompagnum, Paleottum, & Castellum; in his enim nec mentis vigor, nec prudentia, nec fides desiderari poterat. Demum post frequentem istorum deliberationem Legati decreverunt, ut articuli circa morum emendationem tam ardentè expetitam, aut saltem sæpius petitam publice Patribus, atque Oratoribus proponerentur: interea vero Theologi ulterius discuterent articulos de Sacramento Ordinis.

§. LXXXI.

Articuli de Ordinis Sacramento Theologorum examini subjecti.

Hæ

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Pallav. c. 12.

n. 1.

Sarpus l. 7.
p. 570.

Hi articuli ad septem redigebantur capita, quorum primum erat: Ordo non est Sacramentum, sed certus quidam ritus eligendi, & constituendi ministros verbi, & Sacramenti.

II. Ordo non modo Sacramentum non est, sed est quædam fictio humana, excogitata ab hominibus rerum Ecclesiasticarum imperitis.

III. Ordo unus totus Sacramentum non est; & ordines infimi, ac medii non tendunt tanquam gradus ad Presbyteratum.

IV. Nulla est Hierarchia Ecclesiastica; sed omnes Christiani æque Sacerdotes sunt, atque ad usum, & executionem requiritur, ut Magistratus advocetur, & populus assentiatur; is vero, qui semel Sacerdos fuerit, potest Laicus evadere.

V. In novo Testamento non est Sacerdotium visibile, & exterius, nec ulla spiritualis potestas sive ad consecrandum Corpus, & Sanguinem Domini, sive ad offerendum, sive ad absolvendum a peccatis coram Deo; sed solum munus, ac ministerium prædicandi Evangelii, & qui non prædicant, absolute Sacerdotes non sunt.

VI. Unctio non modo non requiritur ad Ordinum collationem, sed perniciofa, & contemnenda est, similiter & cunctæ reliquæ ceremoniæ, & per Ordinationem non datur Spiritus Sanctus, ac proinde frustra

frustra Episcopi in ea dicunt: ACCIPI- Sæcul. XVI.
A. C. 1562.
TE SPIRITUM SANCTUM.

VII. *Episcopi non sunt Presbyteris Superiores, nec habent potestatem ordinandi; vel si eam habent, est illis & Presbyteris communis, & Ordines ab ipsis collati sine populi consensu irriti sunt.*

§. LXXXII.

Duo Decreta pro quæstionum, ac temporis distributione.

Ut brevitati consuleretur, duo fuere præscripta, & quidem primo sanciebatur, ut non omnes Theologi de omnibus articulis differerent, sed illi, qui desuper loquerentur, in sex classes dividerentur, quarum quælibet constaret ex omni Theologorum genere seu ex Pontificiis, ex missis ab aliis Principibus, ex Regularibus, & non Regularibus, ex Italis, & Transmontanis; insuper decernebatur, ut proprium illius classis munus esset adhibere studium, ac loqui super articulis ipsi destinatis.

Altero Decreto præcipiebatur, ut singuli Theologi in dicenda sententia ultra semihoram non infumerent, cum hoc spatium censeatur capax omnium, quæ ad rem facerent, si omnia inutilia reseccarentur.

§. LXXXIII.

Hist. Eccles. Tom. XLV.

C c